This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
CIRCUMSPICE

THE GIFT OF
Mrs H. Hulst

UNIVERSITY OF MICHIGAN

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Hommage affectueux
de l'auteur

279

BV
4829
.B712

Digitized by Google

Digitized by Google

QUÆRITUR

E QUIBUS NEDERLANDICIS FONTIBUS

HAUSERIT SCRIPTOR LIBRI CUI TITULUS EST

DE IMITATIONE CHRISTI

(1384-1464)

DISSERTATIO CRITICA

QUAM, DEO BENE VERTENTE, CONSENSU AMPLISSIMI ORDINIS THEOLOGORUM EVANGELICORUM PARISIENSIUM

PRO LICENTIA DOCENDI

Die 25 mensis Julii A. D. 1878, X hora a. m.

PUBLICE DEFENDET

G. BONET-MAURY

PARISIIS
EDEBANT SANDOZ ET FISCHBACHER, BIBLIOPOLÆ
33, VIA DICTA DE SEINE, 33
—
1878

Digitized by Google

BV
4829
.B712

Præside viro summe colendo

PH. BERGER,

Moderabuntur solemne publicum examen triumviri doctissimi:

PH. BERGER,

ALB. MATTER,

AUG. SABATIER

SS. Theologiæ PP.o.o.

Digitized by Google

Gift
Mrs. H Hulst
9-6-21.

DOCTISSIMO MODESTISSIMOQUE VIRO

J. G. R. ACQUOY

THEOLOGIÆ PROFESSORI IN UNIVERSITATE LEIDENSI

HOC GRATI ANIMI PIGNUS OFFEREBAT

G. BONET-MAURY.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I

PROŒMIUM DE QUIBUSDAM QUÆ AD ORIGINEM LIBRI DE IMITATIONE CHRISTI SUMMATIM PERTINENT

« Non quæras quis hæc dixerit,
Sed quid dicatur attende (1). »

Non his verbis, quibus scriptor noster nomen suum latere voluerit et vanam profanorum scriptorum gloriam abnuere visus fuerit, tamen effugere potuit curiosam eruditorum diligentiam. Jam enim, tribus abhinc sæculis, quæritur, (haud scio an nullo cum fructu dicam), quis sit verus auctor libri illius, quo, quum divinitus scriptum esse Evangelium constet, nullum humanum opus pulchrius dici potest. Etenim, ut notissima tantum nomina memorem : Bernardus a Claravalle, Gersenius, Bonaventura, Ludolphus de Saxonia, Henricus Kalkariensis, Carlerius a Gersonio et Thomas Kempensis, hujus operis a diversis criticis auctores esse dicti sunt. Quod quidem plures quum sibi vindicarent gentes, nullus vero ex clericorum regularium ordinibus esset, qui Imitationis scriptorem suis annumerare et quasi proprio Ordinis amictu induere non vellet, tot disceptationes inde originem ceperunt ut, raptis diversas in partes eruditis, nullam tamen res lucem acceperit. Pro Gersene steterunt discipuli Sancti Benedicti, cujus quidem ordinis hic particeps fuisse putatur; canonici autem regulares ordinis Sancti Augustini, inter quos Thomas Kempensis olim fuerat, sibi tantum

R. H.

1. Cf. *Imitatio Christi*, lib. I, cap. v, *v.* 11.

Digitized by Google

decus addici voluere; Galli quidem Gersonio, cancellario Universitatis Parisiensis; Itali, vero, Gerseni abbati Vercellensi; Germani autem Batavique Thomæ Kempensi opus adscivere, quippe qui ex provincia Coloniensi ortus, et in Trajectensi canonicus factus esset.

Quum nihil in tali de litteris disceptationi magis noxium esse possit, quam gentium simultas et, ut dicitur, odium theologicum; quis homo vere sapiens contentus esse potest excursibus dubiisque horum eruditorum sententiis, qui, dum student omnia resolvere, nihil explicant? Nonne tamen in hunc errorem inciderunt Gallici critici qui novissime de Imitatione disputaverunt? Quorum aliis si credis nihil magis ad hujus operis pulchritudinem confert, quam quod incertum sit, quis illud composuerit (1); alii vero non unius scriptoris, neque unius ætatis id esse affirmant, sed per totum Mediæ Ætatis spatium elaboratum fuisse, ita ut nullus alius auctor ei assignari possit, nisi vel omne humanum genus, vel ipse Sanctus Spiritus (2)! Qua opinione fateri nobis grammatici videntur, quam vanæ fuerint tot et tam doctorum virorum investigationes; quid postea mirum si eorum animos tædium tandem ceperit?

Nos vero, quamvis non nescii quam horum et talium rudes simus, nullam ignorantiam æquo animo ferre possumus, nec (bona venia dicamus) nos juvat hæc ipsa ambiguitas, quam alii pulcherrimam esse volunt. Nobis utilius aliquid conandum esse videtur, quam si inane renovemus bellum, eos codices eruendo, quorum ætas tam incerta est, ut doctissimi viri de ea ad summum judicare non potuerint; vel in dubio quiescamus, quoniam externa inter

1. Silvestre de Sacy : *Journal des Débats*, 17 novembre 1853. Cf. Ernest Renan : *Journal des Débats*, 16 janvier 1855.

2. Victor Leclerc : *Journal des Débats*, 8 novembre 1855. Moland et d'Héricault : *Le livre de l'Internelle consolation*. Paris, 1856. (Introduction.)

Digitized by Google

se testimonia non congruant. Nempe, tot et tanta Criticæ sacræ opera, hos triginta annos in lucem edita, nobis satis ostenderunt, quanti ad rem nostram intersit origines ipsas et quasi fontes libri cujusque introspicere, et cum illis singulas totius operis partes conferre. Quamvis enim scriptores Evangeliorum vel Epistolarum non omnes adhuc reperti sint, tamen ea pars Ecclesiæ ex qua libri singuli orti erant clare ac manifeste apparuit; imo non jam ignoratur, cujus temporis doctrinam et quasi imaginem effinxerint. Hæc igitur via ad investigandam « Imitationis » originem nobis tentanda est; non quod nosmetipsos jactemus inventuros esse verum scriptoris nomen; sed nobis saltem in animo est, quam diligentissime inquirere, qualibus in doctrinis versatus fuerit? e quibus potissimum fontibus hauserit? qua in societate, seu ad mores, seu ad fidem spectes, vitam egerit?

Quum autem nobis hæc investigantibus textu accuratissimo opus sit, pauca primum disseremus de præcipuis « Imitationis » codicibus; et de eo præsertim qui emendatissimam nobis lectionem præbere possit. Omnes quidem codices latino conscripti sunt sermone, distribuuntur vero, ut quisque in diversa regione fuit exaratus, in quatuor classes, sive familias, scilicet : in Nederlandicam, Germanicam, Italicam, Gallicam.

In prima quidem notatur codex Lovaniensis, qui quartum Imitationis libellum partim et quasi interruptum habet; Antverpiensis, ex anno 1441 (1); Thevenotianus, cum primo tantum libello, ex Carthusiensium quidem monasterio exortus, nullo vero anno designatus, et Gerardimontanus, qui quatuor habet libellos, sed nullam anni notationem, ita dictus quia a patribus Sancti

1. E. Amort : *Deductio critica*. Augsbourg, 1762. — *Moralis certitudo*. Augsbourg 1764.

Digitized by Google

Benedicti a Gerardi monte (prope Audenardam) profectus est. Germanicæ vero classi tribuuntur, codex a Kirkhemio dictus (1424) (1); duo codices a Moelk dicti, quorum prior, ex anno 1427, primum tantum libellum habet; Waiblingensis, ex anno 1432; Pollingensis, ex anno 1442; Coloniensis, ex anno 1447, qui primum tantum et ultimum libellorum continet. Postea, inter Italicos notandi sunt codex tam celebratus de Advocatis (2), etsi omni temporis notatione caret; aliique qui nomen ab Arona, Bobbio, Parma nomen ducunt, nullum vero annum inscriptum habent. Gallicæ denique familiæ annumerantur novem codices, qui a bibliotheca abbatiæ Sancti Germani a pratis profecti sunt et inter quos eminet, scriptura pulcherrima, codex a « Le Breton » dictus, quoniam medicus ille Parisiensis eum patribus Sancti Benedicti dono dedit, et cui annus 1460 inscriptus est (3).

Illud primum animadvertendum est, quod plerique in Gallia vel Italia scripti codices, non quibus scripti sunt annorum numeris designati sunt, sed variis tantum auctorum nominibus; Germanici contra et Nederlandici, quum certum quemdam anni numerum, tum unum et eumdem auctorem, scilicet canonicum quemdam regularem, significant; ex quo hos emendatiores esse jam licet suspicari. Accedit insuper ut, collatis Thevenotiano et Gerardimontano codicibus, cum iis qui ex abbatia Sancti Germani nomen ducunt, illi flandrici sine controversia et antiquiores et emendatiores nobis esse videantur. Quos tamen ante quinti decimi ortum sæculi exaratos fuisse minime con-

1. Cf. Ghesquière : *Dissertation sur l'auteur de l'Imitation de Jésus-Christ.* Paris et Verceil, 1775.

2. De Gregory : *de Imitatione Christi. Codex De Advocatis sæculi XIII.* Paris, 1833.

3. Cf. Codices nis 13,596 ad 13,604 designati, in regia Parisiensi bibliotheca.

Digitized by Google

cedimus, sicut nonnulli contenderunt; nam codex Thevenotianus, protinus finem capiente primo de Imitatione Christi libello, continet devotum quoddam opusculum *de Paupertate*, *Humilitate* et *Patientia*, sive *de Tribus Tabernaculis* (1) quod Thomæ Kempensi vulgo adscribitur; codex Gerardimontanus vero, præter quatuor Imitationis partes, libellum continet de *Disciplina claustralium* (2), ejusdem auctoris opus, eademque manu exaratum. Thomas autem duo hæc opuscula non ante annum 1406 componere potuit, scilicet anno quo in Monte Sanctæ Agnetis (prope Zwollam) se Christo devotum fore professus fuit.

Quum igitur teutonici et nederlandici codices nobis antiquiores esse videantur, omnes demum supereminet codex ille, a patribus Societatis Jesu Antverpiensibus dictus, qui in burgundica Bruxellensi bibliotheca nunc reperitur. Qui quidem amplum efficit librum, per quaterniones scriptum, ex membranis collectum, qui, præter quatuor Imitationis partes, habet novem opuscula Thomæ Kempensis (3). Incipit libellus primus his verbis : *De Imitatione Christi et contemptu omnium vanitatum mundi;*

1. Cf. In Bibliotheca regia Parisiensi, codex lat. nº 3,591.

2. Cf. In Bibliotheca regia Parisiensi, codex lat. nº 13,596.

3. Cf. In Bibliotheca burgundica Bruxellensi, codices nºs 5,855 ad 5,861; qui præter Imitationem Christi novem sequentia opuscula habent / Thomæ Kempensi, sine controversia, attributa :

1º De Disciplina claustralium;
2º Epistola devota ad qd Regularem;
3º Renovamini autem spiritu mentis;
4º « Cognovi, Domine, quia æquitas »;
5º Recommendatio humilitatis;
6º De Mortificata vita;
7º De Bona pacifica vita;
8º De Devotione mentis;
9º Brevis admonitio.

Digitized by Google

explicit autem quartus sequentibus : *finitus et completus anno Domini MCCCC*41, *per manus fratris Thomæ Kempensis, in monte Sanctæ Agnetis prope Zwollam.* Hoc in codice nulla reperitur neque paragraphorum, neque versiculorum partitio, sed contra peculiaris quædam intervallorum distinctio, quippe quæ notet, quæ breviores vel longiores moræ, in recitando libro, servandæ sint. Ergo, nobis, ex his omnibus indiciis, constare videtur in Antverpiensi codice certissimum integerrimumque existere textum (1).

Quem si ita transcribes ut, singulis intervallorum signis, a nova linea incipias, miraberis quod pleræque Imitationis sententiæ, poetarum more, certis adstrictæ numeris, imo consonantibus verborum clausulis finem capiant, tanquam eas auctor ideo modulatus esset, ut illo cantu, qui planus dicitur, recitarentur. Quod quidem in iis præsertim animadvertere licet, quæ ad proverbiorum similitudinem compositæ sunt (2). Minime differt hæc Imi-

1. Plura de Antverpiensi codice, vide in K. Hirsche : *Prolegomena zu einer Ausgabe der Imitatio Christi, nach dem Autograph des Thomas v. Kempen.* Berlin, 1873.

2. Hæc rhythmica Imitationis forma clare apparet, ex Libris IV *de Imitatione Christi, editis a* Carolo Hirsche. Berolini, 1874. Cujus exemplo sint sequentia :

Nam homo proponit,
Sed Deus disponit.
(Lib. I, cap. xx, *v.* 25.)
Non satiatur oculus visu,
Nec auris impletur auditu.
(Lib. I, cap. i, *v.* 40.)
Ignis probat ferrum,
Et tentatio hominem justum !
(Lib. I, cap. xiii, *v.* 47.)
Esse sine Jesu gravis est Infernus,
Et esse cum Jesu dulcis Paradisus !
(Lib. II, cap. viii, *v.* 20.)

Digitized by Google

tationis modulatio, a numeris quibus Psalmata, a David, et Proverbia, a Salomone dicta, adstricta sunt et qui vulgo « paralleli » vocantur.

Quid mirum! totum enim de Imitatione opus versiculis Sanctæ Scripturæ quasi intertextum est; quisque libellus incipit verbo quodam Domini et nonnunquam explicit eodem more; ita ut nullum aliud mysticum opusculum cum eo certare possit, et libenter dixerim Bibliam stamen esse hujus texturæ, præclarissimis distinctæ sententiis. Hoc igitur primum est documentum; hic, quasi fons ex quo scriptor noster hausit; hanc legerat, perlegerat, transcripserat semel et sæpius, ita ut eam non memoria modo, sed pectore etiam teneret; hæc illi erat summa, quod ad fidem pertinet, auctoritas, ad quam potius quam ad spinas scholasticorum confugerat; hunc denique, potius quam clericum confessionis peritum, suæ conscientiæ ducem assumpserat, adeo ut Christus ipse, ejusque vita, crux et corona, quales ex Evangelio apparent, suarum meditationum tanquam caput non immerito dici possint!

Secundum Scripturam, Sancti Augustini et Sancti Bernardi loca sæpissime refert Imitatio; nempe duo præstantissimi illi christianæ fidei magistri primis mysticæ doctrinæ explicatoribus viam aperuerant, ex quibus alterius *Confessiones* (1), alterius vero *Sermones* (2) auctor noster prono animo lectitavit.

1. Ideo minus est et insufficiens quidquid præter Te ipsum mihi donas...
   Quoniam non potest cor meum veraciter requiescere, nec totaliter contentari, nisi in Te requiescat!
   (Cf. *Augustini Confess.*, cap. I, *v.* 1, et cap. XIII, *v.* 8; *cum Imitatione*, lib. III, cap. XXI, v. 28-31.)
2. Tu ergo, qui Christum sequeris, absconde thesaurum.
   Ama nesciri : laudet te os alienum, sileat tuum.
   (Cf. *Sancti Bernardi*, sermo III, *In Nativitate Domini*; *cum Imitat.*, lib. I, cap. II, *v.* 34.)

Digitized by Google

Hi sunt igitur quasi primi et antiquiores fontes ex quibus hausit scriptor Imitationis; at, si exercitoria mysticaque quarti decimi et quinti decimi sæculi opuscula, in Germania inferiore edita, perscrutati erimus, alios fontes recentiores, vel etiam æquales invenerimus. Quos ut perpenderemus, summaque diligentia conferremus cum libellis de Imitatione, nobis in hac disquisitione maxime fuit propositum.

CAPUT II

DE EXERCITORIO TRACTATU HENRICI KALKARIENSIS

Henricus Kalkariensis, dictus Æger (1), nomen ducebat a pago Kalkare, in Germania inferiore sito (prope Cliviam), in quo anno 1328 natus erat. Postquam liberalibus studuerat artibus Lutetiæ, in qua urbe circa annos 1355-1358 versabatur, in patriam reversus, in austerum Carthusiensium ordinem intravit; et, anno 1373, ipsum esse rectorem monasterii, cui nomen erat *Monnikhuizen* (prope Arnemium) reperimus. Quem summi ingenii, firmissimique animi simul et mitissimi fuisse constat; ita ut omnibus his virtutibus floreret, ex quibus hominum existimatio et amplissima auctoritas nasci solent. Henricus Æger, quamvis postea Ruremondam, Pragam, Argentoratum, deinde Coloniam (in qua anno 1408 obiit) tanquam « Visitator monasteriorum » (ut dicebatur) a sua

1. Cf. Trithemii : *Catalogus Illustrium Virorum*, p. 148. Discernere refert Henricum Kalkariensem ab Alberto et Gerardo qui Kalkarienses quoque vocantur et Fratres vitæ communis, Zwollis, in xv° seculo, fuêre.

Digitized by Google

Societate missus fuisset, nonnulla tamen opera conscripsit de historia, eloquentia et musica, quorum clarissimum, hoc titulo designatum : *Chronicon Priorum magnæ domus Carthusiensium*, anno 1398 descriptum fuit (1).

Imitationis vero scriptorem Carthusienses et Cistercienses maxima dilexisse reverentia, apparet ex capitulo de *Amore solitudinis et silentii* et alio quoque loco, ubi hanc eorum consuetudinem laudat noctu surgendi « ad psallendum Domino (2) ». Quin imo, verisimillimum est auctorem nostrum ante oculos habuisse hos et tales tractatus exercitorios, quales componere solebant fere omnes clericorum ordinum constitutores vel reformatores.

Nostri tractatus duo exstant codices : quorum unus quidem, anno 1842 apud collegium Quedlimburgense repertus, titulum habet : *Liber secundus de Imitatione Christi* atque inter primam secundamque Imitationis partem interpositus est; alter vero, qui anno 1855 in burgundica Bruxellensi bibliotheca inventus est, hunc præbet titulum : « *Quidam utilis Tractatus proficere volentibus, com-* « *positus a quodam Carthusiense, nomine Kalkar.* » Si quis duos hos titulos comparet, constabit, quam arcta cognatione nostrum quidem opusculum cum Imitatione jungatur, quam vero diversum auctorem referat. Diversam quoque materiæ dispositionem adhibuit tractatus Kalkariensis, ut apparet a capitulorum ordine :

Cap. I. — De exercitio compunctionis, ut quis a Deo purgetur.

Cap. II. — De excitatione spei, ne quis desperet.

Cap. III. — De uberiori occasione spei veniæ et beneficiis collatis.

1. E. Amort : *Deductio critica*, p. 294. — *Moralis certitudo*, p. 137.

2. *Imitatio Christi*, lib. I, cap. xx et cap. xxv, *v.* 103.

3. Cf. In Bibliotheca burgundica Bruxellensi, codex n° 4,981.

Digitized by Google

Cap. IV. — Quid faciendum sit post hujusmodi spem et compunctionis stimulum?

Cap. V. — De uberiori profectu in divino amore et dulcedine spirituali.

Cap. VI. — Quomodo quis se exercere debeat, ante divinorum celebrationem.

Cap. VII. — Quomodo post celebrationem se habeat homo.

Cap. VIII. — Quæ sit causa, quod tam pauci proficiant in religione.

Cap. IX. — De remediis contra negligentias privatas.

Cap. X. — Qualiter resistendum sit Diabolo et tentamentis ejus circa præmissa.

Cap. XI. — Compendiose recolligens quasdam doctrinas circa materiam prædictam.

Sed unum et idem a duobus præcipitur auctoribus, scilicet ut omni ope conemur ad Christi imitationem, ad illum assidue animum intendamus et tanquam cum illo præsente conversemur. Quæ cognatio ut quam clarissime pateat, liceat nonnulla loca conferre :

KALKAR	AUCTOR IMITATIONIS
Volens ergo sic vivere Deo, ante omnia assuescat quod cogitet, quanto sæpius poterit, Dominum Jesum presentem et inspicientem actus suos, ac si prope eum staret..... Ipse enim Jesus est speculum et exemplar omnium virtutum (1).	Quando Jesus adest, totum bonum [est.
Omnia refert ad Jesum,	Nec quidquid difficile videtur;
Bona quia facit,	Quando vero Jesus non adest,
Mala quia parcit ! (2).	Totum durum est !
	Sequere me; Ego sum via, veritas et vita !
	Sine via non itur,
	Sine veritate non cognoscitur,
	Sine vita non vivitur !

1. *Tractatus Kalkariensis,* cap. IX, cf. *Imitatio*, lib. II, cap. VIII, *v.* 1-4.

2. *Op. citat.*, cap. XI, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. LVI, *v.* 10-13.

Digitized by Google

Quam vero viam ad id propositum sequemur? ut Christum imitemur, oportet eum non auribus modo, sed assidua Scripturarum lectione cognoscamus. Quod obtinendum erit, si eas eodem legerimus animo quo scriptæ sunt, non vana nescio qua cupidine pulsi, sed puro corde et perfectionis desiderio. Nihil enim vanius scientia, quæ bona mente caret!

KALKAR.	IMITATIO.
Plus enim valeret, quod homo uni virtuti insisteret, quam mille quaternos studere, et sine fructu vivere...	Scientiæ præferenda est Bona conscientia Et virtuosa vita!
Multi enim plura sciunt, Sed pauci bene vivunt! (1)	Quia vero plures magis student scire Quam bene vivere, Ideo sæpe errant!

Vanæ scientiæ, qua turgere solent homines, contemptio ad humilitatem ducit; sed, ut intra nos ipsi penitus descendamus, oportet quæcumque nos avocare possint, fugiamus, vitamque agamus in solitudine et silentio. Quæ præcepta in utroque auctore reperire est :

KALKAR.	IMITATIO.
Volens purgari a peccatis, et gratiam consequi, in Scripturisque illuminari :	Si vis corde tenus compungi, Intra cubile tuum...; in silentio et [quiete
Ponat se ad locum quietum! (2)	Proficit anima et discit abscondita [Scripturarum!
In his (religiosus) restringat se, in quantum potest, auferendo occasiones, vitandoque consortia et colloquia fabulosorum! (3)	Maximi Sanctorum humana, Vitabant consortia, Et Deo in secreto servire eligebant!
Stude ergo, omnibus diebus vitæ tuæ,	Hæc est altissima et utilissima [lectio,
Ut humilis sis et satis est! (4)	Sui ipsius cognitio et despectio!

1. *Op. citat.*, cap. x, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. III, *v.* 57-60.
2. *Op. citat.*, cap. I, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. XX, *v.* 59 et 69.
3. *Op. citat.*, cap. VII, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. XX, *v.* 11-13.
4. *Op. citat.*, cap. XI, cf. *Imitatio*. lib. I, cap. II, *v.* 35.

Digitized by Google

KALKAR.

Prosternat se humiliando, quanto humilius, tanto melius; tanto citius et abundantius gratiam divinæ misericordiæ prevocabit (1).

IMITATIO.

Quanto quis in se humilior fuerit
Et Deo subjectior,
Tanto in omnibus erit sapientior
Et pacatior!

Quum autem ex omnibus terrestribus vanitatibus nosmet eripuere, repetunt ambo scriptores et memorant omnia Dei beneficia; inde paulatim ad id procedunt, ut cum ipso Christo colloquantur et, divini amoris impetu rapti, mysticis animi motibus indulgeant.

KALKAR.

O domine Jesu! quomodo mihi non esses occasio sperandi, quia tot et tam gloriosa beneficia mihi contulisti! (2)

Desideret ergo semper loqui cum Christo!

Nec exeat os tuum nisi Christus et ad Christum pertinens... Non intersis colloquiis, nisi ibi audias pium Jesum! (3)

Assuescat dicendo « Dulcissime Jesu! carissime Deus, misericordissime, summe, mitissime, benignissime.

Mane mecum! et ego tecum! et non separemur in æternum! Sine te enim non potero vivere, nec proficere in bono: Sed omne bonum a te in æternum, Benedicte! (4)

IMITATIO.

Da mihi, domine, intelligere voluntatem tuam;
Et cum magna reverentia beneficia tua memorari!
Animadverte hæc, anima mea,
Et claude sensualitatis tuæ ostia:
Ut possis audire, quid in te loquatur dominus Deus tuus!
Da mihi, dulcissime et amantissime [Jesu,
In te super omnem creaturam re- [quiescere,
O mi dilectissime sponse, Jesu [Christe,
Veni, veni: quia sine te nulla erit [læta dies,
Quia tu lætitia mea!

Procul abest tamen hæc mystica doctrina, ut ad desidiosam quamdam vanamque contemplationem ducat;

1. *Op. citat.*, cap. III, cf. *Imitatio*, lib. I, cap, IV, *v.* 18.
2. *Op. citat.*, cap. III, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. XXII, *v.* 3-4.
3. *Op. citat.*, cap. XI, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. I, *v.* 16.
4. *Op. citat.*, cap. IV et V, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. XXI, *v.* 3, 34, 58.

Digitized by Google

nam contra ad agendum excitat, ad pugnandum contra corporeas terrenasque voluptates impellit et ei tantum divinam pollicetur mercedem, qui viriliter certaverit. Quod quidem in his locis apparet, quibus sagaciter disserunt, quanti fructus ex delusis diaboli insidiis percipiantur, et devotos omnes ad optimam hortantur pugnam!

KALKAR.	IMITATIO.
Stet ergo ut vir, viriliter agens...	Certa viriliter :
Viriliter age et confortaberis.	Consuetudo consuetudine vincitur!
Ama Deum et in æternum ab eo [amaberis ! (1)	Age, age nunc, carissime, quidquid [agere potes,
Et si Diabolus, vel caro, vel mundus ingerat importune vanas cogitationes, sufficit tales rejicere, nec ludere cum illis ; imo, ad gloriam tunc fuerit homini, et ad meritum, non peccatum; si non consentit, etsi sentiat ! (2)	Quia nescio quando morieris ! Non ergo te conturbent alienæ [phantasiæ ; Illas enim invite magis pateris quam [agis. Et quamdiu displicent et reniteris, Meritum est, et non perditio !

Nec minor apparet cognatio « Imitationis » cum tractatu Kalkariensi, si conferatur quartus libellus Imitationis « *de Sacramento altaris* » cum sexto et septimo Henrici, « de *devotis exercitiis ante et post celebrationem divinorum* ».

Quod si nunc duo hæc opuscula uno conspecto intuebimur, mox patebit Kalkariensem tractatum, quod ad fines et vias spectat, nihil ab Imitatione differre; quod autem ad stilum et ordinem, multo minus valere. Ambo enim ab eodem principium capiunt, scilicet a Christi imitatione; easdemque mysticas ad Deum investigandum vias commendant. Non vero minus apertum est, quantopere prius opusculum alteri impar sit, sive stilum, sive rationem me-

1. *Op. citat.*, cap. IV, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. XXI, *v.* 23, et cap. XXIII, *v.* 105.

2. Cf. *Op. citat.*, cap. VIII, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. VI, *v.* 25-33.

Digitized by Google

ditandi intuearis. Henricus monasterii rectorem et quasi conscientiæ magistrum agit, disserit enim de diversis ætatibus, vel moribus hominum et exercitoria præcepta diligentissime persequitur. Imitationis contra auctor oculos attollit ad nescio quam vitæ liberaliorem humanioremque speciem; magis etiam expeditus est ex ritibus et spinis theologicis. Kalkariensis magis exercitorium et scholasticum doctorem se præstat : Imitatio vero magis mysticam et evangelicam redolet doctrinam. Unde hoc contendere licet, tractatum Kalkariensem paulo ante fuisse compositum; et auctorem nostrum hoc opusculo usum fuisse ad inchoandam primam sui operis imaginem et quasi ducenda lineamenta!

CAPUT III

DE SELECTIS SENTENTIIS QUÆ VOCANTUR : DICTA MAGISTRI GERARDI DAVENTRIENSIS

Non ignoratur, quantopere Henricus Kalkariensis Gerardum Magnum impulerit ad vitam, secundum Christi exemplar, renovandam. Cujus quum Henricus Æger fuisset in Universitate Parisiensi conscientiæ magister, eum, viginti post annos, opulentam lascivamque canonicorum hujus temporis vitam agentem, Trajecti natus, « verus « Christi homo, cetum grande (sic refert scriptor vitæ Gerardi Magni) « de sæculi turbinibus extrahere conatus est. » Postquam autem Gerardus, mutato vivendi more, sese in Arnemensem Carthusiam duobus annis receperat, idem amicus eum in humanam societatem redire jussit, ut præstantissimas ingenii facultates, quibus a Deo

Digitized by Google

ornatus erat, circumforaneæ prædicationi impenderet (1). Nihil igitur mirum, quod diaconi Daventriensis sententiæ quemdam colorem ex prioris Carthusiensis doctrina ducere videantur, Gerardus enim Henrici Kalkariensis tanquam filius, quod ad fidem pertinet, vocari potest!

Hoc vero magis notandum est, quod « Dicta Gerardi Magni », cun Imitationis doctrina maxime congruunt: imo similibus utuntur verbis ambo scriptores ad illa quæ, seu de moribus, seu de fide sentiunt, exprimenda. Quæ quidem affinitas in omnibus Gerardi scriptis animadvertitur, quum in « *Publica ejus protestatione et veridica Evangelii prædicatione* », tum in opusculo « *de Sacris libris studendis* » (2), quum in « *Epistolis* » ejus, tum in *Sermonibus* » (3). Nusquam autem tam manifeste apparet quam in Selectis ejus sententiis, quæ in codice Groningiano hoc titulo inscripta sunt : *Dicta quædam magistri Gerardi Magni* (4). Hi sunt, ut videtur, primi ex his eclogariis piarum sententiarum libellis, quo Fratres vitæ communis, et Patres Windesemenses ad suam ipsorum vitam regendam componere solebant, et qui « *rapiaria* » nominabantur. Nec immerito æstimamus Gerardum in hac re, sicut in reliquis omnibus, suis discipulis viam miro quodam modo aperuisse!

Principium ac fontem devote vivendi, et magister Gerardus, et scriptor Imitationis voluerunt esse Christi vitæ

1. Thomas a Kempis : *Vita Gerardi Magni,* cap. iv, in *Operibus omnibus*, ed. Sommalius.

2. Duo hæc opuscula quamprimum sunt typis mandata, in *Operibus omnibus* Thomæ a Kempis.

3. Epistolarum et sermonum collectionem reperias in codice n° 154[1] ; in Bibliotheca regia Hagana.

4. Dicta manu scripta leguntur in codice D, in Bibliotheca Universitatis Groningianæ et typis mandata sunt in *Operibus omnibus Thomæ à Kempis,* post *vitam Gerardi.*

Digitized by Google

studium et imitationem. Gerardus quidem a Scripturarum lectione initium capit, ut imitationem Christi quærat, mysticus autem noster Jesum vita nostra et moribus quam primum vult imitandum, ut inde ejus verba planius intelligamus. Quod quidem ex his amborum collatis locis facile colligere poteris :

GERARDUS	IMITATIO.
« Radix studii tui et speculum vitæ sit primo Evangelium, quia ibi est vita Christi (1).	« Summum igitur studium nostrum [sit : In vita Jesu-Christi meditari. »
« Ego, Gerardus, coram Deo omnibusque protestor, me, circa ea quæ fidei sunt, in ipso summo lapide Jesu-Christo fundamento, firmam, illibatam et catholicam fidem prædicasse » (2).	« Qui autem vult plene et sapide Christi verba intelligere, « Oportet ut totam vitam suam illi studeat conformare. »

Uterque idem sentiunt de ratione illa, quæ Fratribus vitæ communis, in pueris educandis tanto fuit honori, scilicet : *litteris ad bonam mentem semper uti*, quia scientia sine moribus magis noxia est quam utilis.

GERARDUS	IMITATIO
« Quantum ad bonam vitam, pauci libri sufficerent, quidquid enim meliores nos non facit, est nocivum ! » (3).	Scientiæ præferenda est bona cons- [cientia : Utinam vita eorum scientiæ concor- [dasset, Tunc bene studuissent et legissent !
« Caveat quisquam ne alium scandalizet moribus suis, sed studeat.	« Illa etiam studeas magis cavere [et vincere, Quæ tibi frequentius in aliis displi- [cent.

1. Gerardus Magnus : *De sacris libris studendis*, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. VI, . 7.

2. Idem : *De publica protestatione*, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. I, *v* 15.

3. Idem : *Conclusa et proposita*, in codice Hagano, n° 153[1], folio 113[r], cf, *Imitatio*, lib. I, cap. III, *v*. 57 et 77.

Digitized by Google

GERARDUS	IMITATIO
mores suos corrigere, ut alii magis ædificentur! » (1).	Sicut (enim) oculus tuus alios con- [siderat,
« Scientia scientiarum est scire se nihil scire » (2).	Sic iterum ab aliis notaris. »
	Si tibi videtur quod multa scis,
	Sito quod sunt multo plura quæ [non scis !

Multo magis quam scientia ad hominem in melius mutandum confert secreta vita, meditandæ nostræ infirmitati dedita. Gerardus quidem nos vitam æternam, inter homines vivendo, mereri posse existimat, ut nova hæc laïcæ pietatis effigies propria ejus disciplinæ videatur; secessum vero, ad tempus saltem, necessarium esse arbitratur, quo vita interior excitetur. Imitationis auctor, contra, nullam pæne, extra monasterialem vitam, morum reformationem exsistere posse censet. Quo clarius appareat similitudo, conferantur :

GERARDUS	IMITATIO
« Averte cor tuum a creaturis	« Stude cor tuum ab amore visi- [bilium,
Et erige semper ad Dominum! (3)	Et ad invisibilia transferre ! »
Amator cellæ	Cella continuata dulcescit
Civis est cœli,	Et male custodita tœdium generat.
Amicus Dei,	. . . . .
Socius angelorum,	In silentio et quiete proficit anima [devota,
Inspector supernorum,	Et discit abscondita Scripturarum.
Victor tentationum,	De aliorum dictis vel factis nil te- [mere judices,
Expulsor dæmonum,	
Obtentor pacis,	
Amator Scripturarum (4).	

1. Gerardus Magnus : *Dicta quædam*, *v.* 16, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. xxv, *v.* 50 et 60.

2. *idem* : *Op. citat.*, *v.* 5, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. II, *v.* 26-27.

3. *Dicta quædam magistri Gerardi Magni*, *v.* 20, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. I, *v.* 43-44.

4. *Op. citat.*, *v.* 21, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. xx, *v.* 65-69.

Digitized by Google

GERARDUS

Pro nulla re mundi
Deberet homo turbari (1) !
Quanto plus homo se distare scit a perfectione,
Tanto propior est perfectioni (2).

IMITATIO

Nec cum rebus tibi non commissis [te implices :
Et poterit fieri ut parum vel raro [turberis.
Quanto quis in se humilior fuerit [et Deo subjectior,
Tanto in omnibus erit sapientior et [pacatior.

Quæ de gradibus vitæ interioris sentiat, non tam aperte quam auctor noster, explicat magister Gerardus; ipsis tamen verbis declarat « Regnum Dei intra nos esse, idque « justitia, pace et gaudio in Spiritu Sancto constare ». Ille quoque magis in spe, quæ ex Dei misericordia nascitur, quam in terrore, quem nobis divina incutit justitia, insistit ac moratur.

Sic enim loquitur magister Gerardus in homilia quadam, nederlandico sermone, habita :

GERARDUS

« Regnum Dei quod intra vos est (dixit Sanctus Paulus) justitia, pace et gaudio in Spiritu sancto constat. Tres illas virtutes assequi debet quicumque vult Divinæ præsentiæ particeps fieri : nec ullum opus externum iis præferre. Nihil enim prosunt omnia externa exercitia, nisi internos illos fructus gignant » (3).

IMITATIO

« Regnum Dei intra vos est (dixit [Dominus).
Est enim regnum Dei pax et gau- [dium in Spiritu sancto.
Si tantum in externis istis observantiis profectum religionis po- [nimus :
Cito finem habebit devotio nostra.

Nonne eadem est, in duobus scriptis, contemptio vanorum rituum externorumque operum ? Idem pii amoris impetus ad animum cum Deo commiscendum ? Nunc tandem

1. *Op. citat.*, v. 1, cf. *Imitatio*, lib. III, cap. XXV, *v.* 15-17.
2. *Op. citat.*, v. 5, cf. *Imitatio*, lib. I, cap. IX, *v.* 18-19.
3. Homilia illa, cui nomen est *Zedelijke Toespraak*, invenitur in codice n° 429, Bibliothecæ Haganæ (folio 202 v. - 212 v.) ; cf. *Imitatio*, lib. II, cap. I, *v.* 5-7, et lib. I, cap. XI, *v.* 32.

Digitized by Google

videamus quomodo ambo scriptores congruant, præcipientes ut pii homines manus labore exerceant propriaque bona in unum conferant :

GERARDUS

« Labor mirabiliter homini necessarius.
« Et mentem ad munditiam reducturus » (1).
Communia, communia (alt Gerardus) isti de Ordine Mendicantium id nullo modo sustinebunt... Considerantes hujusmodi vitam viam esse perfectionis, in Ecclesia primitiva institutam » (2).
Tempus breve est laboris,
Merces copiosa in cœlis (3).

IMITATIO

Instigabit te serpens antiquus,
Sed oratione fugabitur,
Insuper et labore utili aditus ei obstruetur.
« Qui quærit privata
Amittit communia. »
« Modicum nunc laborabis
Et magnam requiem, imo perpetuam lætitiam invenies. »

Ex his omnibus intelligitur arctiorem adhuc esse cognationem inter Gerardi et Imitationis dicta, quam inter hæc et dicta Kalkariensis. Nam magister Daventriensis et mysticus noster sese magis quam rector Carthusiæ, ex vinculis scholasticis, externisque ritibus expediverunt. Multum tamen inter eos interesse opinamur : Gerardus enim scriptum Dei Verbum vehementius commendat, Imitatio vero interius; Gerardus non omnem cum hominibus societatem disjungendam esse censet, Imitatione eam illis omnino renuntiante. Gerardi præcepta clerici sæcularis et oratoris; Imitationis vero sententiæ regularis canonici et sacri vatis esse videntur. Ad summam, mystica est doctrina quæ simul, et a magistro Daventriensi, et ab auctore

1. Epistola mag. Gerardi III ad Johannem de Cele ; cf. *Imitatio* lib. III, cap. XII, *v.* 50.

2. *Chronicon Windesemense*, cap. II ; cf. *Imitatio*, lib. III, cap. XIII, *v.* 4-5.

3. Epistola mag. Gerardi ad Johannem de Gronde ; cf. *Imitatio*, lib. I, cap. XXV. *v.* 9-10.

Digitized by Google

Imitationis explicatur; scilicet veram pietatem erga Deum neque ex scholasticis disputationibus, neque ex operibus externis, non sponte operatis consistere; sed ex corde puro, pacifico, læto atque Christi patientis amantissimo.

Nonne semen et quasi medulla operis « de Imitatione Christi » jam his Gerardi verbis continetur : « Cave ne « Deum derelinquas ! Si Ipsum reliqueris, qui omne bo- « num est, quid restabit tibi nisi omne malum ?... Si « Ipsum reliqueris, non potest Creator relinquere creatu- « ram. Necesse est enim, ut serviat creatura Domino « suo aut punienti aut præmienti; aut invita ad pœnas « æternas, aut voluntaria in gaudiis cœlestibus ! (1) » Hoc est proprium et tanquam signaculum hujus libelli, ex quo societas hominum conjici licet, qui librum quam-primum in lucem prodiderunt. Quemadmodum enim pulcherrima optimorum pictorum opera, etsi non suscripta illorum schola, agnoscuntur ex colore, linearum ductu et inventione; ita liber ille aureus, fervore pietatis, morum castitate et amore Christi, tanquam sigillo Fratrum Vitæ Communis designatus est.

CAPUT IV

DE « ADMONITIONIBUS » FLORENTII RADEWINI.

Jam Florentio Radewino duce accedimus ad Fratrum Vitæ Communis sodalitium, cujus ille disciplinam vere constituit. Florentius, Leerdami (in Hollandia inferiore) circa annum 1350, ex opulentis parentibus natus, in Pra-

1. Cf. Epistola mag. Gerardi ad Bertholdum; in codice Bibliothecæ regiæ Hannoveranæ, XIII, 859, folio 118-119.

Digitized by Google

gensi Universitate quam, vix constitutam (1348), permulti ex Germania inferiore scholastici adire jam consueverant, theologiæ studuerat, ibique ad magisterium, qui dicitur ex artibus, fuerat promotus. Non ita multo post in patriam reversus, ditissimaque capituli Sancti Martini Trajectensis præbenda ornatus, in familiaritatem Gerardi Magni, eidem canonicorum collegio addicti, inde ab anno 1375, venerat. Ingenio rerum utilium sagace et modesto, necnon fervido generosoque pectore, acerrima et prudentissima simul indole præditus, magistri Gerardi orationes, quæ apostolicam virtutem redolebant, ubi primum audivit, aliquo conscientiæ timore impulsus, jam dubitare cœpit, num, canonicorum more opulentam desidiosamque vitam agendo, facultates a Deo acceptas satis exerceret. Igitur, jam propositi certus, præbendam Trajectensem missam fecit, ut magistrum Gerardum tunc Daventriæ degentem sequeretur, qua in urbe primum Sancti Lebwini ecclesiæ vicarius, mox autem rector scholæ in eodem capitulo constitutæ creatus fuit (1). Inde vero cum adolescentibus clericis multum et familiariter versatus est, qui ex omnibus provinciæ Super-Ysalam sitæ partibus in hunc ludum affluebant; arctioremque junxit amicitiam cum Gerardo, qui pauperrimo cuique scholastico describendos, mercede pacta, codices præstabat. Ergo, quadam die anni 1381, amico persuasit Florentius, ut « scriptores illi bonæ voluntatis » fructum sui laboris in unum « reponentes, in communi pariter viverent (2); » suamque ipsius domum, sitam juxta Sancti Lebwini ecclesiam, sodalitio donavit, qua pauperes isti clerici, tanquam hospitio, reciperentur.

Ipsi vero, quum pulchre scribendi artem nullo modo

1. Cf. *Vita Florentii*, in Thomæ a Kempis *Operibus omnibus*.

2. J. Buschius : *Chronicon Windesemense*, cap. II.

Digitized by Google

calleret, mandatum fuerat, ut membranas pararet, codicesque conferret et emendaret; nec tamen, humiliore isto labore contentus, opera ingenio et spiritu præstantiora composuerat. Duo tantum ex ejus scriptis exstant opuscula.

Quorum alterum quidem est *Epistola ad quemdam regularem scripta* (1), in qua libellum Sancti Bernardi cui nomen est « Speculum monachorum » legendum commendat, præcipitque ut quotidie quid nobis sit agendum vix expergefacti statuamus, vespere autem quid actum fuerit repetamus, « ne (sic ipse loquitur) dum circa « nos, in omni rerum natura, Dei lumen splendeat magni- « ficentissime, nostram contra conscientiam spissæ Ma- « ligni tenebræ operire videantur! »

Alterum vero constat ex quibusdam excerptis de moribus præceptis, qualia magister ipse Gerardus scripserat. Multum tamen Gerardi inter et Florentii opera interest, quod saltem ad componendi rationem spectat. Nempe, dum *Dicta quædam magistri Gerardi* nihil aliud erant, quam disjecta quasi membra; *Admonitiones valde utiles domini Florentii* (2), contra, in corpus quoddam redactæ sunt, cujus omnes inter se partes arcte cohærent. Opusculum Florentii in quinque distribuitur partes, quæ, quamvis non variis, ut in Henrici Kalkariensis tractatu titulis distinctæ sint, diversum tamen quæque argumentum habent; simul ac certum ordinem et quasi progressum sequuntur. Scilicet, ex nota Socratis sententia γνῶθι σεαυτόν exordiens, auctor noster mox eas describit

1. Epistola legitur, post *Vitam Florentii;* in Thomæ a Kempis Op. omn.

2. Admonitiones leguntur hoc titulo inscriptæ, in codice nº 2,586 Bibliothecæ Burgundicæ, sed typis mandatæ sunt in Thomæ Op. omn. hac mentione : *Quædam notabilia verba dom. Florentii presbyteri.*

Digitized by Google

artes, quibus exteriores, interioresque animi hostes propugnare possimus; denique hanc Jesu-Christi imitandi optimam viam nobis proponit, ut communem vitam manibus labore exercendis, commentandis Scripturis sacris, et moribus reformandis deditam agamus.

Ex duobus his indiciis, titulo scilicet et ordine, non absimile esse Florentii opusculum quamprimum apparebit primo tertioque Imitationis libello, in quibus de christiani adversus externas, internasque tentationes certamine disseritur. Quæ quidem cognatio ut clarius appareat, liceat nobis nonnulla amborum loca conferre.

ARGUMENTUM PRIMUM

De vili æstimatione sui ipsius et tentationibus resistendis.

FLORENTIUS.	IMITATIO.
Ante omnia, cognosce vitia et passiones tuas.	Hæc est altissima et utilissima [lectio:
Si sentis tentationes et statim rejicis, damnum non faciunt sed lucrum.	Suî ipsius vera cognitio et des- [pectio (1).
Nil enim nocet sensus,	Quamdiu displicent (tentationes) et [reniteris,
Ubi non est consensus.	Meritum est et non perditio (2).

ARGUMENTUM II

De imitatione Jesu-Christi, præsertim in ejus Passione.

Tunc conscientia bona est et ratio tua recta, quando nihil agis nisi secundum Sacram Scripturam, et exemplar in monte, i. e. in Christo, tibi monstratum.	Si velimus veraciter illuminari, Et ab omni cæcitate cordis liberari, Summum studium nostrum sit In vita Jesu-Christi meditari! (3)

1. Cf. *Imitatio,* lib. I, cap. II, *v.* 35.
2. *Imitatio,* lib. III, cap. VI, *v.* 32.
3. *Imitatio,* lib. I, cap. I, *v.* 5-8.

Digitized by Google

FLORENTIUS	IMITATIO
Nostrum est aliquid boni in corde nostro plantare legendo, orando, vel aliquid de Sacra Scriptura ruminando...	Nunquam sis ex toto otiosus : Sed aut legens, aut scribens, aut orans,
Omnia adversa homini fierent dulcia,	Aut meditans, aut aliquid utile pro communi laborans (1).
Si se bene exerceret in passione Dominica.	Religiosus, qui se devote in vita et passione Domini exercet,
	Omnia utilia et necessaria sibi abundanter ibi inveniet (2).

Postquam, a terrestribus vanitatibus liberatus, ad Christi crucem conversus est animus, solitudinem silentiumque quærere debet, quo Clarius Verbum Dei audiat et meditetur. Tantum momenti uterque scriptor Sacræ Scripturæ conferunt, ut eam, nondum quidem pro unica fidei norma, sed pro summa morum regula, et summa interioris vitæ principio et quasi fonte habeant. Quod ex collatis quidem his locis, colligere poteris:

ARGUMENTUM III.

De sensibus, secessu, silentio et Scriptura rationi subjungendis:

Servus Dei debet niti, quod cor suum avertat a creaturis et concupiscentiis terrenis,	Stude ergo cor tuum ab amore visibilium
Et quanto plus in illis profecerit, tanto plus crescit ejus appetitus ad amorem Dei !	Et ad invisibilia transferre! (3)
Nihil sic exstinguit vitia carnalia, sicut fervens Scripturarum studium, continua solitudo, et frequens silentium.	In silentio et quiete proficit anima devota,
	Et discit abscondita Scripturarum (4).

1. *Imitatio,* lib, I, cap. XIX, *v.* 50.
2. *Imitatio,* lib. I, cap. XXV, *v.* 67 et 72.
3. *Imitat.,* lib. I, cap. I, *v.* 43-44.
4. *Imitat.*, lib. I, cap. XX, *v.* 69.

Digitized by Google

FLORENTIUS	IMITATIO
Assuesce et coge te ipsum in cella manere, nunc legere, nunc orare, nunc in deliciis spiritualibus te exercere, donec tibi cella dulcescat et placeat solitudo.	Cella continuata dulcescit Et male custodita tædium gene- [rat (1).
Omnia exercitia et studia sua ad hoc debet dirigere homo, ut passiones suas et defectus discat superare, et sensualitatem subjicere rationi.	Perfecta victoria est De semetipso triumphare. Qui enim semetipsum subjectum [tenet, Ut sensualitas rationi Et ratio in cunctis obediat mihi, Hic vere victor est sui et dominus [mundi (2).

Quæ mira sententiarum affinitas apertius etiam patebit, si Christi imitatione Scripturæque meditatione jam omissis, ad hæc præcepta venerimus quæ ad laborem et communem vitam pertinent.

ARGUMENTUM IV.

De labore et vita communiter degenda.

Nunquam servus Dei debet esse otiosus, sed semper bona occupatione implicitus et omnes operationes suas dirigere ad honorem Dei et utilitatem proximi.	Nunquam sis ex toto otiosus Sed aut legens, etc. Aut aliquid utilitatis pro communi [laborans (3).
Semper debes quærere communia: quanto homo omnia bona sua, sive corporis, sive animæ fecerit communia in terris; tanto omnia aliorum bona sibi erunt communia in cœlis!	Cave ne piger sis ad communia Et promptior ad singularia (4). Qui quærit privata Amittit communia (5).

Denique Florentius in colloquia de inanibus habita superbæque scientiæ pericula vehementer invehitur;

1. *Imitat.*, lib. I, cap. XX, *v.* 65.
2. *Imitat.*, lib. I, cap. LIII, *v.* 30-35.
3. *Imitat.*, lib. I, cap. XIX, *v.* 20.
4. *Imitat.*, lib. I, cap. XIX, *v.* 56.
5. *Imitat.*, lib. III, cap. XII, *v.* 4-5.

Digitized by Google

fatetur enim nullam nobis non perniciosam esse disciplinam, qua non in melius immutetur vita nostra. Quæ præcepta quidem plane patet ex Gerardi dictis Florentium hausisse, a quo eadem Imitationis auctor mutuatus est.

ARGUMENTUM V.

De periculis quæ in vanis colloquiis, superbaque scientia latent.

FLORENTIUS	IMITATIO
Parum prodest multum studere, Et vitam non corrigere, nec mores componere.	Quia plures magis student scire quam bene vivere, Ideo sæpe errant, et pæne nullum fructum ferunt (1).
Quid prodest in multis proficere doctrinis, Et divinis carere virtutibus?	Quid prodest tibi alta de Trinitate disputare. Si careas humilitate, unde displiceas Trinitati (2).
Melius est igitur modicum spiritus, Quam multa scientia, sine devotione.	Melius est sapere modicum, cum humilitate, Quam magni scientiarum thesauri cum vana complacentia (3).
Quilibet Devotus loqui debet cum prudentia, ita ut omnes sermones disponat in numero, pondere, mensura... Raro loquitur homo, quin postea pœniteat de aliquo verbo incauto.	Facilius est omnino tacere : Quam verbo non excedere... Nemo secure loquitur, Nisi qui libenter tacet (4). Vellem me pluries tacuisse Et inter homines non fuisse (5).

Quibus omnibus collatis, nemo dubitare poterit, quin Florentii libellus, liberque de « Imitatione Christi » mira similitudine, quod ad vitam in melius immutandam attinet, inter se congruant. Imo vero ipsis verbis, iisdemque titulis sæpius utuntur, scilicet hoc titulo, « *Admonitiones* » qui

1. *Imitat.*, lib. I, cap. VII, *v.* 60-61.
2. *Imitat.*, lib. I, cap. I, *v.* 16.
3. *Imitat.*, lib. III, cap. VII, *v.* 42.
4. *Imitat.*, lib. XX. *v.* 18.
5. *Imitat.*, lib. X, *v.* 5.

Digitized by Google

ambobus inscriptus est. Quid enim aliud in utroque reperitur, quam admonitio virilis ad excitandam animi vitam externis operibus torpescentem, hominemque ad interna revocandum. Dum autem Florentius in mentis exercitationibus et vita in agendo consumpta magis moratur; Imitationis auctor, contra, ad mysticum Christi amorem hortatur. Ille conscientiam potius, hic pectus appellat.

« *Admonitiones valde utiles* quidem, » conscientiæ magistro et cuidam monasterii rectori tribuendæ sunt: liber de Imitatione Christi vero deditam solitudini contemplationique vitam significat.

CAPUT V.

De Chronicis Windesemensibus et Epistola Joannis Vossii.

Jam suprà vidimus, Fratribus Vitæ communis, atque canonicis Windesemensibus, a suo auctore et legislatore præceptum fuisse, ut excerpta quisque ex Patrum vel Sanctorum sententiis, adjectis suis ipsius commentationibus componeret, quæ *rapiaria* dicta, non aliud erant quam interioris vitæ ratio quotidiana. Hoc nomine inscriptæ magistri Gerardi Magni et Florentii Radewini, aliorumque Fratrum qui illi proxime successerunt, sententiæ usque ad nos pervenerunt.

Mox autem, quum Fratrum domus et monasteria regularium in dies crescerent, rectores quidam, ut decuit, novi Sodalitii annales scribere valde cupiverunt, unde duo *Chronica canonicorum regularium Sancti Augus-*

Digitized by Google

tini, quum *in Windesem*, tum in *Monte Sanctæ-Agnetis* (prope Zwollam) orta sunt.

Ex quibus alterum Chronicon a Joanne Buschio compositum est, qui, Zwollæ anno 1399 natus, magnam sibi, in medio quinti decimi sæculi spatio famam adeptus est, quum studio suo, tum invicta constantia, qua corrupta Frisiæ, Westphaliæ, Saxoniæque monasteria ad meliorem disciplinam revocavit. In his annalibus, quæ ex quinquaginta circiter constant capitulis, refertur quidquid non modo ad sodalitium Windesemense, sed etiam ad Fratres Vitæ Communis pertinet, necnon ad originem recentioris illius pietatis generis, quod « Devotio moderna », dicitur et, cujus auctorem et tanquam Patrem esse vult Gerardum Magnum.

Alterum vero Thomas Kempensis composuit, etsi nomen ejus in titulo modeste latuit; sed, illo mortuo, a canonico quodam ejusdem domus in lucem editum est et illius nomine, non immerito, inscriptum. Qui quidem Chronico Montagnetano excerpta quædam adjunxit ex alio « *Chronico fratris Thomæ a Kempis, de illis quæ domum nostram non concernunt* », quæ de Gerardo Magno, de insignis illius monasterii institutione, et de ipso trium a Kempis fratrum genere permulta memorabilia referunt.

Inter Chronicon Windesemense et Chronicon Montagnetanum, quæ ab origine latine scripta erant, invenitur tertium opusculum, scilicet : « *Epistola de vita et passione D. N. Jesu-Christi, et aliis devotis exercitiis* », quæ a principio sermone teutonico composita fuerat, a Joanne Vossio (de Huesden), ad usum patrum et laicorum Windesemensium, et postea in latinum sermonem, fortasse ab Heriberto Rosweydio, editore trium Chronicorum versa fuit.

Joannes Vossius, secundum Gerardum Magnum et Florentium Radewinum, plurimum contulit ad novam illam pietatis formam excitandam, pervulgandamque. Ille qui-

Digitized by Google

dem, natus anno 1342 in vico Huesden (in superiore Brabantia) in Parisiensi Universitati, sicut Gerardus, (quo duobus annis minor erat) theologiæ studuerat, ibique cum eo amicitiam inivisse putatur. Viginti post annis, eodem amico impulsore, inter primos Daventriæ in Vitam communem intravit, et anno 1391, prior domus Windesemensis totiusque canonicorum regularium Congregationis rector electus fuit. Amplissimis his muneribus ornatus, obeunte anno 1417, cum tribus aliis patribus ad Constantianum concilium legatus est, ut Fratres Vitæ communis defenderet, in quos tanquam hæreticos et clericos extra religionem viventes invehebatur Dominicanus quidam, nomine Mathæus Grabovius. Postquam autem, auctoribus Joanne Carlerio (a Gersonio) et Petro (ab Alliaco) episcopo Cameriacensi, docta Fratrum societas judicio absoluta fuit (Idibus Aprilis 1418), Joannes ad amicos summo gaudio sententiam retulit quæ « Scriptoribus bonæ voluntatis » debitas laudes tribuebat. Huic longinquæ et gravissimæ legationi non diu superfuit venerandus ille prior domus Windesemensis, nam anno 1424, duos et octoginta annos natus, mortem obiit; eum autem amore et veneratione omnes Fratres usque ad mortem prosecuti sunt, et supremum morientis spiritum excepit Thomas a Kempis.

Epistola de vita et passione Jesu-Christi, cum natura et pietate Joannis Vossii admodum congruit, quales ex Buschii Chronico possunt cognosci. Ab hoc Evangelii loco orditur : « *Qui perseverabit usque in finem, hic salvus erit!* » In singulos hebdomadis dies commendat pias meditationes, de tribus his rebus, scilicet : 1° de principio vitæ Jesu-Christi; 2° de Christi passione et morte; 3° de propria ad devotam vitam conversione. Omnia vero præcepta mysticum quemdam et austerum spiritum redolent; et a viro

Digitized by Google

scripta fuisse videntur, varias internæ reformationis vices curasque experto. Quod ad hæc spectat, Joannis Vossii Epistolam « Imitationis » quasi gemellam esse dixerim.

Quam autem mysticus noster, et cum Chronico Windesemensi, et cum Vossii Epistolæ mirum in modum congruat, non modo sententiarum affinitate, sed etiam pietatis vocabulis et Nederlandici sermonis idiomatibus, nobis est nunc perpendendum.

De principio vitæ interioris, id est de Jesu-Christi amore et imitatione, qui omnibus mysticis exercitationibus, Scripturæque ipsius scientiæ præferendi sunt, ita disserunt ambo :

VOSSIUS	IMITATIO
Vita D. N. Jesu Christi, quæ nos præcessit, fons est omnium virtutum, qua mediante ad omnes virtutes pervenitur.	Qui sequitur me non ambulat in [tenebris. Hæc sunt verba Christi quibus ad[monemur. Quatenus vitam ejus et mores imi[temur (1).

Inde procedunt ad contemplationem crucis vulnerumque Redemptoris, unde salus nostra et pax cum optimo maximo Deo orta est :

Quid dulcius! o dilecte frater, quid securius! quid simplici columbæ salubrius, quam in petræ foramine, hoc est in Christi Jesu vulneribus delitescere et requies[cere?	« Requiesce in passione Domini, « Et in sacris ejus vulneribus liben[ter habita. Si enim ad vulnera, et pretiosa stigmata devote confugis, Magnam in tribulatione comfortationem senties (2).

Quod tandem ad mores reformandos attinet, Vossius,

1. *Imitat.*, lib. I, cap. I, *v.* 1-4.
2. *Imitat.*, lib. II, cap. I, *v.* 58-59.

Digitized by Google

sicut ac mysticus noster, solitudinem, humilitatem, Christique amorem commendat :

VOSSIUS	IMITATIO
Libenter, cum fieri potest, sis so- [lus (1) !	Pete secretum tibi,
	Ama solus habitare tecum !
Humilis corde sis et apparatu,	Si vis utiliter aliquid scire et discere,
Ama nesciri et ab aliis contemni !	Ama nesciri et pro nihilo repu- [tari (2).
Qui exercitium et cognitionem negligit, quamvis haberet et sciret omnem Bibliam, et Legem unquam positam, id minime sufficeret.	Si scires totam Bibliam exterius Et omnia philosophorum dicta, Quid totum prodesset sine caritate Dei et gratia (3) ?

Vossii Epistola hac explicit mentione : « *Juxta hunc modum Fratres Devotarum congregationum se solent exercere.* »

Quo quidem usurpato *devotarum* vocabulo, non vulgarem erga Deum pietatem significari voluit, sed peculiare quoddam pietatis genus, a magistro Gerardo creatum et cujus proprium erat ut laïcos omnes, non neglecto litterarum studio, ad spiritualia excitaret. Quemadmodum *Devoti* specialiter vocantur laïci illi quos Gerardi prædicatio ad interiorem vitam revocaverat, ita « *homines vel scriptores bonæ voluntatis* » appellantur Fratres vitæ communis, quippe qui non regulæ timore, sed Dei amore impellente, piam degerent et omnibus utilem vitam. Quæ vocabula passim sæpius reperiuntur in libris de Imitatione :

VOSSIUS	IMITATIO
« Prædilecte magister, ait Floren- « tius, quid noceret quod ego et « clerici isti, scriptores *bonæ vo-* « *luntatis*... (4)	Quando homo *bonæ voluntatis* tri- [bulatur, Tunc Deum sibi magis necessarium [intelligit.

1. *Imitat.*, lib. III, cap. LIII, *v.* 7-8.
2. *Imitat.*, lib. I, cap. II, *v.* 5-6.
3. *Imitat.*, lib. I, cap. I.
4. *Chronicon Windesem.*, cap. II ; cum *Imitat.*, lib. I, cap. XII, *v.* 14-16.

Digitized by Google

VOSSIUS	IMITATIO
« Fratres quidem *collationes devotas*, singulis dominicis diebus et feriis, teutonico sermone, habebant (1).	Juvat tamen non parum ad profec- [tum spiritualem *Devota* spiritualium rerum *collatio*.
« Sicut magister Gerardus Magnus origo fuit et pater hujus modernæ *Devotionis*, ita *devotus* pater Joannes de Huesden (2).	Utinam in te non dormitet perfectus [virtutum, Qui multa vidisti exempla *Devoto-* [*rum!*
« Addebat devotus Gerlacus Petri, ideo semper nova mentis renovatione, ad hæc sacramenta debere *quemlibet Devotum* se disponere (3) ».	Potest *quilibet Devotus* omni die, Ad spiritualem Christi communio- [nem accedere.

Quo tandem manifestior appareat affinitas illa et quasi cognatio elocutionis, qua utitur auctor Imitationis, cum sermone Nederlandico, aliquot batavica idiomata ex libello nostro mutuabimur :

« *Si scires totam Bibliam exterius* », quod stat pro : « si memoria Bibliam teneres », non aliud est quam interpretatio, ex scriptione, batavicæ hujus locutionis : « Al kendet gij den geheelen Bijbel van buiten (4). »

« *Verus amator Christi et sectator virtutum, non cadit super consolationes* » respondet huic idiomati : « De waare minnaar van Jesus valt op vertroostingen niet op », id est « non magni æstimat humanas consolationes (5). »

« *Ecce in cruce totum constat, — et in moriendo totum jacet* » non aliud est quam hoc batavicum : « Alles

1. Cf. DUMBAR : *Analecta Reipublicæ Daventriensis*, p. 22 et 184 ; cum *Imitat.*, lib. I, cap. x, *v.* 25.

2. *Chronic. Windes.*, lib. I, cap. xv ; cum *Imitat.*, lib. I, cap. xviii, *v.* 74.

3. *Chronicon Windes.*, lib. II, cap. lv ; cum *Imitat.*, lib. IV, cap. x.

4. *Imitat.*, lib. I, cap. i, *v.* 22.

5. *Imitat.*, lib. II, cap. ix, *v.* 31.

Digitized by Google

bestaat dan in het kruis, — en in het sterven ligt alles (1) ! »

« *Si bene steteris cum Deo* » id est : Indien gij wel (goed) staat met God (2) !

« *Pro bono totum accipias* » id est : Neemt alles voor gœd aan (3) ! »

Denique vocabula *leviter* quod « cito, facile » non autem « temere » in libro nostro significat, et « *gravitas* (4), » si ex eo « difficultatem » intelligimus, verbis nederlandicis « ligt » « bezwaar », respondent.

Quæ cum ita sint, nemini sermonis Nederlandici perito, dubitandum est, quin libri de Imitatione, latine quidem conscripti, teutonice vero concepti fuerint !

CAPUT VI

COLLIGUNTUR, OMNIA QUÆ AD TEMPUS, FONTES ET COMPONENDI RATIONEM PERTINENT

Jam nunc peractum spatium uno conspectu nobis habendum est, ex quo colligere possimus : quibus circiter temporibus Ecclesiæ ? ex quibus documentis vel doctrinis ? denique qua ratione compositi sint libri nostri ?

Primum ad mysticam fidei christianæ formam quatuor tendunt libelli, id est ad Deum ita protinus cognoscendum, ut sola vi amoris, cum eo conjungamur. Scriptor noster, ut videtur, abhorret ab aridis doctorum scholasti-

1. *Imitat.*, lib. II, cap. XII, *v.* 34.
2. *Imitat.*, lib. III, cap. XLIV, *v.* 11.
3. *Imitat.*, lib. III, cap. XLIX, *v.* 102.
4. *Imitat.*, lib. I, cap. VI, et lib. IV, cap. X.

Digitized by Google

corum disputationibus, necnon et impeditissimis de Eucharistia controversiis ; rationem vero spernit et scientiam, quippe quæ morum reformationem non pariant. Hæc enim sunt ejus verba :

Quid prodest magna cavillatio de occultis et obscuris rebus?...
Quid curæ nobis de generibus et speciebus?
Scientia, sine timore Dei, quid importat (1)?
Cavendum est tibi a curiosa et inutili perscrutatione Sacramenti,
Si non vis in dubitationis profundum submergi!
Ratio humana debilis est et falli potest :
Fides autem vera falli non potest (2)?

Quibus locis manifeste alluditur ad longam inter Realium ac Nominalium sectas controversiam, quæ per totum quarti decimi sæculi spatium initiumque quinti decimi manavit ; et fortasse primis quoque de Eucharistia contentionibus, a Wyclefio et Joanne Hussio excitatis. Auctor vero non minore animi fervore invehitur in eas exteriores pietatis exercitationes, quæ neque Dei amore suggestæ fuerint, neque ad hominem in melius immutandum profecerint. Sic enim loquitur :

« Sine caritate opus externum nihil prodest...
Quidquid autem ex caritate agitur — quantumcumque parum sit [et despectum
Totum fructuosum efficitur?
Magis siquidem Deus pensat ex quanto quis agit, quam opus [quod facit.
Multum facit, qui multum diligit (3)!

Nonne mirabiliter hi versiculi consonant cum pulchra Gerardi homilia de interiore regno Dei et vanitate

1. *Imitat.*, lib. I, cap. III, *v.* 6 et 17.
2. *Imitat.*, lib. IV, cap. XVIII, *v.* 1 et 40.
3. *Imitat.*, lib. I, cap. XV, *v.* 7 et 10.

Digitized by Google

externorum operum? Nonne ibi quasi clamantem audimus animum, qui, sese ex syllogismorum rituumque vinculis expedire conatur, ut Dei ipsius contemplatione gaudeat? Nonne in his verbis exquisita evangelicæ fidei medulla continetur? Sic igitur ad mysticam fidei speciem tendit Imitatio, atque ex hoc adversus Scholasticorum arida præcepta certamine initium capit, quod quartœ decimo et quinto decimo sæculo proprium, et tot præclaris magistri Eccardi, Susonis, Tauleri, Rusbrochii, Gersonii, Gochii et Wesselii nominibus illustre factum est.

Fontibus autem exploratis, quodnam mysticismi genus Imitationi proprium fuerit, discernere licet. Postquam enim præcipuos Nederlandici mysticismi libros, cum libro de Imitatione contulimus, apparuit nobis arctissimam esse, quod ad sententias verbaque pertinet, inter eos cognationem. Omnes enim summum quasi principium habebant Christi imitationem, quam tribus viis se assecuturos esse sperabant, scilicet 1° legendis Sacris Scripturis; 2° moribus et conscientia in melius mutandis; 3° suscipiendo Christi corpore, per sacramentum altaris. Quibus signis, propriam Gerardi Magni doctrinam agnoscimus; nempe, dialectico scholæ Sancti Victoris et Sancti Bonaventuræ mysticismo dissimilis est, quia scholasticam viam omnino respuit; ab extatico vero et ad pantheismum tendente Rusbrochii et Eccardi mysticismo eo differt, quod Scripturam Sacram sibi velut normam assumit; a pantheistico denique et omni lege soluto « Fratrum Liberi Spiritus » mysticismo abhorret maxime, quia dogmati Incarnationis et altaris sacramento insistit multum ac moratur.

Hæc enim tria sunt frena, quibus solis mystica doctrina ab eis erroribus deflecti possit, in quos, si ingenio indulgeat, sæpius rapiatur. Sublata enim revelati scriptique Verbi Dei auctoritate, ad omnia propriæ mentis placita seducitur; omissa autem sacra Christi corporis communica-

Digitized by Google

tione, extra omnem Ecclesiam labitur, in nescio quam singulis propriam religionem; firmo denique morum fundamento si careat, mox in inertem quamdam contemplationem effrenatamque morum licentiam disciscit. Itaque præclare mysticus noster rationem suam his verbis complectitur :

Duo namque mihi necessaria permaxime sentio in hac vita,
In carcere corporis hujus detentus duobus me egere fateor :
Cibo scilicet et lumine.
Dedisti itaque mihi infirmo sacrum Corpus tuum ad refectionem [mentis et corporis (1).
Et posuisti lucernam pedibus meis Verbum tuum!

Nec tantum quod ad res ipsas spectat, sed etiam in disponenda materie et in verbis eligendis, his mysticis, novo pietatis colore imbutis, opusculis consonat Imitatio. Sunt tamen discrimina quædam; hæc enim elementa non secundum eamdem rationem mixta sunt, nec eadem est diversorum ætas librorum. Henrici Kalkariensis et Florentii Radewini tractatus magis monasteriales spirant mores; Gerardi vero et Vossii dicta ad mysticum amorem tendunt vehementius, unde cum Imitationis doctrina magis congruunt. Alioquin, Gerardi et Florentii admonitiones ex sententiis constant quæ inter se commissuris raro cohærent; Kalkariensis contra et Vossii præcepta, etsi primas et tantummodo lineas et quasi adumbrationem operis ostendunt, magis inter se apta et connexa videntur. Soli vero de Imitatione quatuor libelli absolutam quamdam exercitorii evangelicique mysticismi rationem effingunt, quæ perfectum Gerardi scholæ statum significat.

Ex quibus comparatis tractatibus, nobis patere videtur, libellos de Imitatione tum ex originibus haustos esse, quæ

1. *Imitat.*, lib. IV, cap. XI, *v.* 53.

Digitized by Google

inter annum 1384 (quo Gerardus Magnus obiit), et annum 1464 (quo Chronicon Windesemense in lucem editum est), referri debent, tum ex canonicorum Windesemensium congregatione ortos esse.

Ne quis sit verus Imitationis auctor (quod nobis non est propositum), quæramus, liceat tamen nobis intra certiores temporis fines libri nostri originem ponere et ex codicum exploratione novum aliquid inferre. Veterrimos autem, quorum ætas notata fuit, codices si perpenderimus (qui quidem quum a superiore, tum ab inferiore Germania proveniunt), iis unum vel duos vel tres tantummodo Imitationis libellos inesse viderimus, neque iisdem inscriptos fuisse titulis; imo vero ii, qui quatuor habent partes, non eumdem sequuntur ordinem (1).

Nec minus diversi sunt tituli quam librorum ordo vel numerus, in singulis codicibus; illis enim inscripti sunt hi tituli; nunc *Libri vitæ*, nunc *Admoniliones ad vitam spiritualem;* sive *Liber internarum consolationum;* sive *De Reformatione hominis;* vel etiam *de Musica ecclesiastica;* adeo ut, in multo recentioribus tantum codicibus prævaluerit totique operi tributus fuerit titulus, primo capitulo Libri primi inscriptus : *De Imitatione Christi*. Ex his omnibus, hæc, ut nobis videtur, colligi possunt : quemque scilicet ex Imitationis libellis separatim exaratum esse et absolutum quasi corpus efficere; eosque per vices, inter 1415 et 1441 annum, in lucem editos esse (2).

Quemadmodum autem codicum exploratio hæc vera esse satis nobis ostendit, ipsa rerum dispositio aliquam

1. Cf. Quæ de codicibus Imitationis supra diximus, p. 3.

2. His enim annis exarati sunt (nostro quidem judicio) codex *Thevenotianus*, qui primum tantum libellum habet et *Antverpiensis* quo quatuor continentur.

Digitized by Google

præstitutam congruentiam et unam eamdemque concipiendi rationem indicat. Etenim in primo libro, ut hominem a terrestribus affectionibus avocet, eum hortatur, ad suam ipsam voluntatem abdicandam, recedendum in solitudinem, legendasque Sanctas Scripturas, quibus viis ad Christi imitationem possit pervenire.

Ubi vero a mortalibus rebus amotus est homo, jam in suam ipsius conscientiam introducitur, nam necesse est ut per nostrum cor transeamus, antequam ad Deum ascendamus; quæ est secundi libri materies.

Quum autem jam, ab externis rebus avocatus, vitæ interioris particeps factus es, tertius liber ei aditum ad Jesum-Christum præbet, a quo ipso docetur solatiaque accipit, mystico quodam colloquio.

Quartus denique liber, per supremum mysticismi gradum, id est per sacramentum altaris, hominem cum Deo jungit.

Stili quoque unus et idem sonus, in quatuor libellis, unum et eumdem esse Imitationis scriptorem ad summum confirmat; sermo enim, ad instar cantus illius qui planus dicitur, certis adstrictus est numeris, ubique consonantibus inter se verborum clausulis intertextus est, et imbutus Nederlandicis idiomatibus.

Ex his omnibus explorationibus, hæc nobis ad summam esse concludenda videntur :

I. Libri de Imitatione Christi ad hæc quarti decimi et quinti decimi sæculi tempora pertinent, quibus mystica vigebat et florebat doctrina; sed ex evangelico Gerardi mysticismo procedunt.

II. Hausti sunt (præter sanctas Scripturas) ex Nederlandicis fontibus, inter 1384 et 1464 annum inclusis, et ex sodalitio Canonicorum regularium Sancti Augustini, in Windesem proveniunt et quamprimum in lucem editi sunt.

Digitized by Google

III. Imitatio est tetralogia quædam, quæ ex quatuor inter se diversis opusculis constat, inter 1415 et 1441 annum singulatim editis, sed ab eodem auctore scripta est, bene compositam rationem secuto.

Nunc tandem, si diversos scriptores quibus assignata est Imitatio, inter se conferamus, verum auctoris nomen dignoscere facile liceat; sed ita nostri propositi verecundiam retinebimus, ut non ea involucra detegamus, quibus ille modestissime latere voluerit. Satis erit nobis, illud fidei amorisque miraculum veneratis, scriptori modestum hoc testimonium reddere. « *Profecto, scriptor ille fuit « Christo amicissimus et quasi quoddam Ecclesiæ lu- « men; sed sincera humanæ gloriæ contemptione, hu- « milique imitatione Christi, major etiam exstitit!* »

VIDI,
Decanus, F. Lichtenberger.

VIDI,
Præses : Ph. Berger.

Vu et permis d'imprimer :
Le vice-recteur de l'Académie de Paris,
A. MOURIER.

Paris. — Typ. Ch. Unsinger, 83, rue du Bac.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google